UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Diana

Diana, Antonino

Coloniae Agrippinae, 1656

Lacticinia

urn:nbn:de:hbz:466:1-40647

Visual Library

20 Iuramentum an poſſit à Principe prohiberi nè fiat, vel ſi fiat, an poſſit impedire eius effectum ita, vt non obliget, Vide *verb. Statutum laicale.*

Iuramēta pia relaxari poſſunt ab eo qui poteſt relaxare vota.

21 Quando adeſt dubium de validitate iuramenti, de deliberatione, de quantitate, vel qualitate materiæ, &c. Vide *verb. Voti obligatio,* quia eſt eadem, ac voti ratio & obligatio. Vnde quænā iuramenta relaxari poſſint & commutari virtute Bullæ, aut iubilæ, inquire V. *Bulla Cruciata quoad vota,* nam quicūque habet poteſtatem relaxandi, vota, relaxare poteſt iuramenta pia; quia arctior eſt obligatio voti, quàm iuramenti, & qui poteſt plus, poteſt minus. Et priuilegia in fauorem animarum conceſſa, ſunt amplianda potius, quàm reſtringenda. Ità Tannerus *in 2. diſp. 5. quæſt. 5. dub. 1. n. 36.* contra Nauarrum *c. 27. num. 275. p. 3. tract. 5. reſ. 25. §. Secundò.*

In foro Conſcientiæ ſolus Prælatus iurantis poteſt relaxare iuramentum factum ab vnâ parte contrahentium, quia debet eſſe ſuperior qui relaxat in hoc foro. In externo, Iudex Eccleſiaſticus loci, in quo contractus eſt celebratus. contractûs tamen obligatio planè reſcindi non poteſt, niſi à Iudice, qui citare poſſet reum. vbi nota; ſi relaxatio, nulla putetur eſſe, non autem manifeſtè nullitas appareat, ſæcularis Iudex ſe miſcere non debet. Caſt. Palaus *to. 3 tract. 14. diſp. 3 punct. 6 p. 11. tr. 1. reſ. 36.*

Varia de iuramento facto latroni.

22 Iuramentum latroni, vel raptori factum, eſt obſeruandum, non ſolum in foro conſcientiæ, verum etiam in iudiciali; vterque Molina, & Epiſcopus ſpoliatus iurans non repetere, ſi iuramentū fuit de ſuis, tenetur ad iuramentum; ſecus ſi de Eccleſiaſticis. *Suarez;* ablato periculo vitæ, cū ſit in tuto, poteſt quis, facto iuramento latroni de non denunciandum, eum denunciare, vel illi æquiuocè iurare. Cardin de Lug. *p. 8. tract. 7. reſ. 57.*

Valida eſt reuocatio teſtamenti iurati.

23 Controuerſia eſt inter Doctores circa reuocationem teſtamenti iurati, tamen ſi reuocetur, valida eſt eius reuocatio. Card. de Lugo *part. 9. tr. 7. reſ. 42.*

Nō obligat.

34 Iuramentum inter Amaſios ad nihilum obligat. Fagundez *parte 9. tractat. 8. reſolutione 9.*

Peccat mortaliter ſi nō habet animū adimplendi.

25 Iurans coactus vi, vel metu ſi habet animum non adimplendi peccat mortaliter. Lopez *part. 9. tract. 8. reſ. 56.*

Nō licèt iurare de regreſſu in carcerem.

26 Non eſt licitum iurare, ſe velle in carcerem redire, quando agatur de periculo vitæ, maximè iniuſtè, nec etiam iuſtè, cum ſit de iure naturæ conſeruare eius vitam. Villalobos, & alij *part. 9. tr. 8. reſ. 57.*

Prorogato tēpore prorogatur obligatio parendi.

27 Cum prorogatur tempus ad proferendam ſententiam propagatur, & obligatio parendi, ex vi prioris iuramenti Suar. *part. 9. tract. 8. reſ. 7.* Et ſi pars tradit iuramento obligatio ceſſat, etiam ſi emiſſum ſit in honorem Dei. *part. 10. tract. 14. reſ. 15.*

Nō tenentur ad iuramentum Tabelliones.

28 Tabelliones, & miniſtri iuſtitiæ non tenentur ad iuramentum de non accipiendo plus de mercede à iudice taxata pro labore ſui officij, quādo progreſſu temporis illa merces facta iniuſta. Sanchez, & alij *parte 9. tractat. 8. reſolutione 8.*

Promiſſio facta pauperibus nō poteſt admitti.

29 Si quis alicui iuramento promiſit, aliquid ſe daturum, poteſt promiſſarius, illam remittere. Sanchez, & alij; ſecus ſi promiſſio facta fuit pauperibus indeterminatè, vel filiæ nubendæ, tunc ad patrem remiſſio iuramenti pertinet. Sanchez, & alij *p. 9. tr. 8. reſ. 13.*

LACTICINIA.

1 QVi tenetur ieiunare ex voto, iubilæo aut pœnitentia, ſi abſque Bulla in Quadrageſima, vel intra annum, vbi ex conſuetudine non comeduntur oua, & lacticinia, ea comedat, ſatisfaciet ieiunijs, voto, Iubilæo, & pœnitentiæ indictis, niſi in his expreſsè prohibeantur, oua, & lacticinia, etſi peccaret contra præceptum Eccleſiæ prohibentis eos cibos tempore Quadrageſimali. Ita Sāchez: quia hic ex voto, &c. ſolùm tenetur ad id, ad quod obligat præceptū ieiunij, vt ſic. Sed pro cōtraria

ſenten-

ſententia ſtat Palaus cum aliis: vtraque ſententia rationes habet probabiles. Nota obiter contra Palaum voto de dicendo Roſarium ſatisfieri recitando alternatim cum ſocio: imò & ſatisfaciet voto, ſi recitet facta notabili interruptione in ipſis decẽniis: item, qui vouit aliquid aliquo modo indeterminatè, poteſt eligere id, quod minus eſt, quia votum eſt interpretandum ſtrictè. Item qui vovit ieiunare toto menſe v.g. Septembri non tenetur ieiunare Dominicis illius, niſi id expreſsè intenderit: quia præſumitur ſe obligaſſe eo modo, quo obligat Eccleſia, quæ in Dominicis non obligat. Ita Sanchez; item, qui vovit ieiunare in vigilia alicuius Sancti, cuius dies feſtus incidit in feria ſecũda, poteſt Sabbato antecedenti ieiunare, & non tenetur ad ieiunium in die Dominico. Et idem, ſi vouit ieiunare in die Annunciationis B. M. Virginis, & incidat in Dominica, dummodo aliud in vtroque caſu expreſsè non intenderit, in dubio autem voluntatis, poteſt in Sabbato antecedente diem Annunciationis ieiunare, aut etiam poteſt ieiunium transferre in Feriam ſecundam, ſi die Sabbati teneatur alio titulo ieiunare, quia ſe vniverſalis Eccleſiæ conſuetudini accommodare eſt iuſta cauſa translationis: & hæc commutatio eſt in æquale. Qui vouit tradere aliquid certo pauperi, ſi hic deſignatus moriatur ante adimpletionem voti, tenetur tradere alteri pauperi, niſi aliter conſtet de voluntate voventis: quia ſic explicaretur præceptum; ſi de hac re ſtaret: & quia hoc votum explicandum, ſicut legatum alicui pauperi relictum, quod ſoluendum eſt, etiam ſi fuerit mortuus pauper deſignatus. Si quis vovit ſextis Feriis ieiunare; non tenetur ieiunare in Natali Domini incidenti eo anno in die Veneris quidquid dicat in contrarium Palaus: vide Trullen. *parte 9. tr. 8. reſol. 6.*

LAICVS.

1 LAici ſecluſa neceſſitate non poſſunt tangere calicem, patenam, & corporalia abſq; culpa veniali. Sunt enim multa iura, quæ talem contactum prohibent. Verũtamen quauis cauſa occurrente, nulla erit culpa. Sententia aſſerens adhuc ſine cauſa, nullam eſſe culpam probabilis eſt *p. 10. tr. 11. reſ. 2.*

LECTORES.

1 LEctores ſecundùm Lezanam *c.* 10. *num.* 32. comprehenduntur in Bullis Pontificis, vt contra illas delinquentes lectura priventur, quoties dicunt, contraventores privationem officiorum, graduum, & dignitatũ incurrere, qualis eſt Bulla Pii V. de clauſura, Clement. VIII. de largitione munerum, & ſimiles: quia talia verba ſunt ampliſſima, & ſine ratione reſtringeretur. Et ad quandam Bullam Sixti V. quæ contrarium declaravit, reſpondet, illam loqui quoad illam cõſtitutionem peculiarem, non autem de cæteris, & id colligit ex verbis ibi poſitis, *hac in re, de qua nunc agitur.* Sed ego teneo cum Bonacina *de clauſ. p. 4. n. 6.* nomine officii, gradus & dignitatis venire ſolum gradus honorificos cum ſuperioritate coniunctos, qualem habent Generales, Provinciales, Priores, &c. *p. 4. tr. 4. reſ. 224.*

Lectores non comprehendũtur in Bullis, quæ imponunt pœnam privationis officiorum, graduum, dignitatũ, &c.

2 Lectores non omnes excuſantur à ieiunio. Vide *verb. Ieiunium, numero* 26.

3 Lectores Regulares recitando ſex, aut ſeptem Pſalmos aſſignandos à Prælato cum ſeptem *Pater noſter,* & bis Symbolo Apoſtolorum, ſatisfaciunt oneri Horarum Canonicarum, ex privileg. conceſſo Ord. Theatinorum à Clem. VII. apud Rodriq. *comp. reſ. 20 n. 6. part. 3. t. 2. reſ. 68. §. Non denam.*

Non omnes excuſantur à ieiunio. Sed Regulariter excuſantur ab officio, ſi recitant certas preces.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN